

S· G· B· T· B·

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



21

COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO VI.

continens

ANTIOESEN ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE,

An peccata penitus
tollantur in Justificatione,

Posteriora argumenta Becani examinans.

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. GOTTFRIDO OLEARIO

Hallenſi, Saxone.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 29. Auguſti.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.



COLLEGII SECUNDI
IN AUGUSTINUM COLLEGIUM

DETINATIS AV

CONFUSUS

VITÆ IN ACTIVITATI VI

DE OMISSIONE

AUDIECENS DILECTUS

COLLEGAT IN LITERATIONE

BONVS VNB. S. V. S. C. S. S. C. S. S.

AVSOS

IN INGENIO ET ELEGANTIA ACADĒMIA V. ACCEPTUO

S. B. S. A. S. K. S. S. S.

M. ADORO MARTINI. SS. TR.

D. S. PROL. P. APP. T. M. T. T. T. T. T. T.

SENIORIS SC. T. C. A. T. P. T. T. T. T.

SC. T. C. A. T. P. T. T. T. T.

M. GOTTHARDUS OFAYA

H. H. H. H. H. H. H.

B. B. B. B. B. B. B.

B. B. B. B. B. B. B.

B. B. B. B. B. B. B.

TABIS HISCEGIM SALOMONIS AVERVICH

ANNO M. DCXXIX

W. W. W. W. W. W. W.





Continuatio.

Becanus quinque argumentis probare co-natur, peccata in justificatione planè tolli: primum vidimus præcedente disputatione; sequitur nunc; ut posteriora quatuor fe-solvamus ac refutemus.

THESES.

I. Secundum ergò argumentum proponit Becanus, tract. 4. cap. 2. §. 7. his verbis: Alterum argumentum: *Quia corporis vinculis, funibus & catenis, quibus constrictus erat, planè eximitur & liberatur, is certè non retinet illa in suis membris, nec amplius circumfert: ergo similiter, qui à spiritualibus vinculis, funibus & catenis, quæ sunt peccata, quibus constrictus & captivus erat sub potestate Sathanæ, eximitur & liberatur, quod sit in justificatione, is certè non retinet apud se ejusmodi vincula, nec amplius circumfert.* Hoc modo liberatus erat David, cum dixit Psalm. 115. v. 6. *Domine quia ego servus tuus.* Quare? caussam addit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Quasi diceret: Domine, hactenus fui servus & manicipium Sathanæ, qui me vinculis peccatorum constrictum & captivum tenebat: Nunc, quia me ab his vinculis eripuisti, non amplius Diaboli, sed tuus servus sum. Notanter autem dixit: *dirupisti vincula mea,* ut significaret, non modo se vinculus exutum esse, sed ipsa quoque vincula esse disrupta, id est, peccata sua penitus abolita. Porrò sicut olim David, ita nos quotidiè per Christum liberamur, & disruptis peccatorum vinculis è captivitate Sathanæ eripimur & in libertatem filiorum DEI restituimur, juxta illud Apostoli Rom. 6. vers. 22. Nunc vero liberati à peccato servi facti estis DEO. Et Coloss. 1. v. 13. Eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum filii dilectionis sue. Hinc Christus appellatur in scripturis noster Redemptor & Redemptio, quia sc. per ipsum à vinculis peccatorum & Diaboli potestate redempti sumus

sumus, 1. Tim. 2. v. 6. qui dedit Redemtionem sicut ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniuritate & mundaret sibi populum acceptabilem. At quo pretio redemit nos? non alio quam suo sanguine. Ephes. 1. v. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus. 1. Cor. 6. v. 20. Empti estis pretio magno. 1. Pet. 1. v. 18. Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi. Apocal. 5. v. 9. Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione. Hinc apparet, sicut peccata non modo sordes & iniquamenta sunt quibus contaminamur, sed etiam vincula, quibus captivi tenemur: ita sanguinem Christi non modo vim habere abluendi sed etiam redimendi, ac proinde non solum aquæ in abluendis sordibus, sed etiam lytro in redimendis captiuis, similem esse. Hoc quia Calvinus negat, Christo injuriam facit, si concederet, Catholicè sentiret.

II. In principali argumento omittit Beccanus Sophisticè Majorem: utpote quam invalidam intellexit. Nos ergo ut fallacia sit magis conspicua, illam supplemus & argumentum formamus hoc modo: Ut quis à corporeis vinculis, funibus & catenis, quibus constrictus erat, planè eximitur & liberatur; ita similiter qui à spiritualibus vinculis, funibus & catenis, quae sunt peccata, quibus constrictus & captivus erat sub potestate Satanæ, eximitur & liberatur: Qui vero à corporis vinculis, funibus & catenis, quibus constrictus erat, planè eximitur & liberatur; is certè non retinet illa in suis membris, nec amplius circumfert: Ergo similiter qui à spiritualibus vinculis, funibus & catenis, quae sunt peccata &c. eximitur & liberatur in justificatione, is certè non retinet apud se ejusmodi vincula, nec amplius circumfert.

III. Quis concederet Beccano majorem? Simile enim, non est idem: proindeque quæ similia sunt, non planè se habent eodem modo: Deinde comparatio inter vincula corporis & peccata tantum ex parte procedit: Nempe ex illa duntaxat parte, qua peccata sunt spiritualia, & sic spiritualiter ligant: id verò, quo spiritualia denominantur, non est ipse peccatorum actus sive essentia; sed reatus, ut in præcedentibus demonstratum:

Stratum: Hæc ergo pars peccati si conferatur cum vinculis corporis; concedimus comparationem in majore; tum vero in conclusione in locum peccati substituendus est reatus peccati, hoc modo: Ergo similiter, qui a spiritualibus vinculis, funibus & catenis, quæ sunt ipse reatus peccatorum, quo constrictus & captivus erat sub potestate Sathanæ, eximitur & liberatur, quod fit in justificatione, is certè non retinet apud se ejusmodi vinculum, nec amplius circumfert, nempe ejusmodi reatum: quod libenter concedimus. Reatus enim totus tollitur: quippe qui totus ac solus hominem ligat, iræ DEI aeternæ damnationi subjicit.

IV. Quando autem totum peccatum confert Becanus, cum vinculis corporeis, tum impudenter disputat contra ipsum Spiritum Sanctum, à quo impulsus Paulus Rom. 7. v. 23 confitetur, se à peccati lege & sic vinculis illis spiritualibus non penitus ac totaliter solutum esse; simulq; liberationem finalē anxie exoptat vers. 24. unde rursus vitium comparationis vinculi spiritualis cum vinculo corporis in majore institutæ arguitur.

V. Deinde inconvenienter adducitur & explicatur, proindeq; ad propositum malè applicatur dictum Ps. 115. v. 6. vel potius, Psalm. 116. v. 16. Quandoquidem ut toto illo Psalmo David ereptus è magno periculo & discrimine vitae, in quo versabatur in deserto Maon obsessus à militibus Sauli, Deo pro paterna sua benignitate, protectione & liberatione gratias agit, actuorumque perpetuò pollicetur: sic allegato illo versu non loquitur de justificatione & à peccatis liberatione. Non igitur illud dicit David, quod Becano dicere videtur.

VI. Tertiō verè etiā disrumpi vincula nostra spiritualia per justificationē & remissionē peccatorū dici possunt; quandoquidē sublato reatu non amplius obligati sumus legi, sed revera ab ejus maledictione liberati; siquidem ligati eramus peccato propter reatum & per illum. Isto ergo sublato, solutio facta est & nos libertati restituti. Non autem sequitur: Ergo peccata sunt penitus abolita. Nam distinguendum est inter peccatum ipsum & ejus virtutem, quâ nos ligat, & Diabolo captivos tenet. Virtus illa est reatus: Ergo licet peccatum non sit

planè abolitum : est tamen infirmatum , virtuteq; nōs captivos
tenendi privatum .

VII. Quartò , comparatione igitur instituta inter Da-
vidis liberationem eternam & inter internam liberationem à
peccato , cæteris paribus , concedere possumus . Ut enim is ex
captivitate & obsidione hostili potenti manu DEI liberatus
fuit ; sic nos quotidiè per Christum liberamur è potestate Sata-
næ disruptis peccatorum vinculis : vincula autem illa non sunt
rarsus ipsa peccata sed peccatorum reatus : hoc ergo abolito &
sublato revera ex captivitate Satanæ eripimur & in libertatem
filiorum DEI restituimur , licet actus peccati maneat . Idque
propterea : nam meritum Christi direcchè reatu non actui pec-
cati opponitur . Quod & dicta allegata Rom . 6. v. 22. & Closs . 1. 13.
& nihil amplius , testantur & confirmantur .

VIII. Quintò omnino Christus est noster Redemptor ,
& quidem unicus & perfectissimus , proindeque ejus redemptio
est perfectissima : facta etiam est illa precioso ipsius sanguine ,
non auro neque argento . Sed qualis est argumentatio & con-
sequentia : Christus nos redemit , ab omni peccato : Ergo pec-
catum realiter totaliterq; à nobis in hac vita auferetur ac tolli-
tur ? Nulla est . Alias & impii essent sine peccato , quando-
quidem & illorum est redemptor ac pro ipsorum peccatis effu-
dit sanguinem .

IX. Si autem velit majorem sic formari : *Quos Christus*
precioso suo sanguine redemit , illorum peccata per justificationem realiter
tolluntur & una cum reatu actus ipse auferitur ; Tum illa probanda
esset . Quandoquidem allegatis illis scripturæ dictis nihil ejus
confirmatur . Debet ergo distingui (ut hoc coronidis loco ad-
damus) inter Redemptionem Christi longè perfectissimam &
ejus fructus . Redemptio semel à peccatis nostris præstata est per-
fectissima : Sed fructus ejus non omnes ita comparati sunt , ut
in hac vita nobis applicari debeant . Est sane liberatio à reli-
quiis peccati & sic ab ipsis sordibus & actibus peccati totalibus
fructus redencionis Christi : Sapientissima autem Dei volunta-
te ita provisum est , ut illa hac in vita non perfectè frui debea-
mus , sed illius perfecta participatio in alteram æternam & cæ-
lestem

Iestem vitam differatur, ubi erit demum liberatio ab omni
peccato ejusq; actu perfectissima.

X. Tandem, nos ita de justificatione & peccatorum ablutione
statuentes injuriam facere Christo, verba sunt, probatio nulla. Cō-
trarium præcedenti disputatione demonstravimus & injuriam
hanc in ipsum Becanum retorsimus.

XI. In tertio argumento duo agit Becanus, primum co-
natur per proportionem membrorum corporis & animi pro-
bare, peccata planè tolli per justificationem : Deinde ostendere sat-
agit modum, quo peccata tollantur. Argumentum ipsum proponit
§. 8. his verbis : Tertium argumentum sumitur ex proportione morbo-
rum corporis & unius in hunc modum : Medicus corporalis, qui in sua arte
peritisimus est, ita novit curare omnes morbos ac vulnera quæ ipsius arti
subjecta sunt, ut omnino non manent in corpore, sed planè pereant ac de-
struantur. Ergò etiam medicus spiritualis, qui peritisimus sit, ita poterit
curare omnia peccata, quæ sunt morbi ac vulnera animorum, ut omnino
pereant ac destruantur. At peritisimus in hoc genere est Christus Dominus,
qui propterea Salvator dictus est : Ergò Christus potest planè tollere pec-
cata omnia, quibus animus vulneratur & affligitur. Ergò in homine per
Christum justificato ac sanato non manent amplius præcedentia vulnera &
plagæ peccatorum, ut Calvinus vult. In hac argumentatione nihil obscu-
rum, nihil ambiguum : Omnia clara & certa sunt. Ac primo constat ex
Evangelio Christum medicum esse. Nam cum Pharisæi quærerent ex Apo-
stolis, cur Magister ipsorum cum Publicanis non cum Pharisæis ageret, præ-
sertim cum hi justi, illi peccatores essent : Respondit Christus, medicos non
ad sanos, sed ad agrotos ire solitos. Quid hoc responso aliud significavit,
quam se medicum esse animorum? Non enim de corporum, sed animorum
vitius ac morbis agebatur. Nam quod peritisimus in hac re sit, ex dupli capite
ostendi potest. Primo, quia quos sanat, ita sanat, ut nihil morbi vel
contagionis reliquum sit in iis, juxta illud Rom. 8, 1. Nihil damnationis est in
iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Secundo,
quia omnia hominum ac morborum genera sanare potest. Venite inquit,
ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Nullum hominum, nul-
lum morborum genus excipit. Et hoc testatus est in Evangelio, quando cæ-
cos, claudos, mutos, surdos, aridos, leprosos, hydroponicos, febricitantes, paraly-
ticos, & reliquam agrorum turbam sanavit. Nimirum voluit significare,
ut null-

ut nullum corporum, ita nullum animorum morbum esse, quem curare non posset. Hoc quia Pharisæi non credebant, miraculo comprobavit. Cum enim dixisset Paralytico jacenti in grabato: Fili, remittuntur tibi peccata tua. Et Pharisæi putarent plus potestatis sibi illum arrogare quam haberet, respondit ipsis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge. & ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait Paralytico) tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit ille, & sublato grabato abiit coram hominibus, ita ut mirarentur omnes, & honoriscaient Deum. Pharisæis videntur similes esse Calvinistæ. Non credunt Christum sanare peccata in hac vita, nec agnoscunt medicum, qualem ex sacris literis descripsimus. Alium nobis obtrudunt, qui ægrotum non sanat, sed pallio rectum ac involutum dimittit, nec plagas aut vulnera tollit, sed tegit, solum & occultat. Quid agamus cum hoc hominum genere? Sinite illos, cœci sunt, & duces cœcorum.

XII. Prosylogismus ergo hic est: Ut medicus corporalis, qui in arte sua peritissimus est, curare novit omnes morbos ac vulnera, quæ ipsis arti subjecta sunt: sic medicus spiritualis peritissimus novit curare omnia peccata, quæ sunt morbi ac vulnera animorum: Atqui Medicus corporalis, qui in arte sua est peritissimus, ita novit curare omnes morbos ac vulnera ut omnino non maneant in corpore, sed planè pereant ac destruantur: Ergo etiam sic curat & potest curare Medicus spiritualis.

XIII. Huic additur Syllogismus principialis: Medicus spiritualis, qui peritissimus est, ita potest curare omnia peccata, quæ sunt morbi ac vulnera animorum, ut omnino pereant ac destruantur: Christus Dominus est ille medicus spiritualis, qui propterea Salvator dictus est: Ergo Christus, qui propterea Salvator dictus est potest planè tollere peccata omnia, quibus animus vulneratur & affligitur.

XIV. Respondemus ad majorem prosyllogismi, quod eodem laboret vitio, quo præcedentes. Est quidem similitudo quædam inter Medicum corporalem & Medicum spiritualem: item, inter sanationem corporalem & sanationem spiritualem; inde verò non statim efficitur, omne id, quod tribuitur, tanquam pro-

proprium, medico & sanationi corporali, id quoque tanquam proprium, medico & sanationi spirituali tribuendum esse. Non sanè. Nam haec tenus similitudo, quod uterque curet: dissimilitudo verò, quod alio modo Medicus corporalis, & alio modo Medicus spiritualis curet. Si enim & in curatione & in curationis modo convenienterent, non amplius similitudo, sed identitas esset, & non duntaxat similitudine, sed essentia & specie convenienterent.

XV. Deinde concedimus, quod noverit & Medicus corporalis excellens & Medicus spiritualis, quilibet suos morbos & vulnera curare: sed propterea non necesse est, ut curet illa omni tempore, vel etiam illo, quod uni vel alteri commodum videtur: Distinguendum ergo est inter causas naturales & voluntarias. Illæ quidem agunt eodem modo: hæ verò non; sed & suspendere & promovere, imò & planè intermittere prohibitu actiones possunt. Quare Medicus non statim curat morbum ægroti, quando objicitur: sed quando ipsi commodum videtur: Et non sequitur: potest curare; Ergo statim curat: Deus potest quidem mundum destruere: sed nondum destruxit. Sane & Christus potest mortem penitus abolere, si enim non posset, ergo nunquam aboleret, & tamen nondum abolevit: à posse ad esse non valer consequentia, docent Logici. Christus posset quidem omnia peccata per justificationem in hac vita funditus tollere: sed ut Logici à posse ad esse, sic nos, ad præsens institutum hanc regulam accommodantes, dicimus, à posse Christi ad velle Christi non valere consequentiam: Quod enim potest, ob certas causas non vult planè tollere peccata in hac vita. Causam hujus hanc ipsam annotans Bernhardus in Sermone de Cœna Domini: De concupiscentia diximus, inquit, quod licet damnationem abstulerit Christus: tamen ad humiliandos nos ipsam concupiscentiam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis, Gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus.

XVI. Non ergo adeo clara & certa in argumentatione Beccani sunt omnia, ut sibi imaginatur & gloriatur. Nam licet

concedatur, ut omnino concedendum est, & nulla plane indiget probatione: (ergo nec tam operosa, ut eam adhibet & instituit Beccanus) 1. Christum esse nostrum spirituale medium & non tantum animorum, ut restringit Beccanus, sed & corporum. 2. Posse sanare omnia hominum ac morborum genera, & nullum excipi; eadem sanare quoq: Inde tamen non statim sequitur: Ergo per Justificationem, non tantum illud peccati, quod in ipso spirituale (nempe reatus) sed etiam quod in illo naturale est (nempe actus) plane tollitur; ut satis probatum. Ex abundantia: Ut est sanatio, sic etiam est effectus sanationis: At sanatio, in Justificatione à Christo praestata, non est naturalis, sed spiritualis: Ergo & effectus est talis; & per consequens, non id, quod naturale est in peccato, tollitur per Justificationem; sed quod spirituale nempe tantum reatus relevra auferitur.

XVII. Porro dicto Rom. g. v. i: nihil probatur: Quandoquidem Apostolus non demonstrat illis, qui secundum spiritum vivunt, nullum inesse peccatum, sed nullam esse condemnationem, sive exemptos illos esse condamnationi, idque per immediatam & proximam causam, quæ hic rursus non exprimitur justitia inhærens, sive negatio peccati in illorum membris, sive regeneratione sive renovatio in ipsis inchoata, sed ipsorum in Christo insitio, & cum eo unio (illud enim est esse in Christo Jesu), quippe in qua perfectissima est naturæ nostræ sanctificatio: quæ in nobis duntaxat est inchoata. Demonstratio ergo, in formulam collecta, sic habet: Qui perfidem insiti sunt Christo, & unum cum ipso facti; illi exempti sunt condemnationi: Atqui, qui vivunt secundum spiritum & non secundum carnem, insiti sunt Christo; Ergo qui vivunt secundum spiritum & non secundum carnem, exempti sunt condemnationi: Ut ita neque vita ipsa, neque interna spiritualiter vivendi facultas inhærens, utpote renovatio, sit causa, quod sint exempti condemnationi; sed, ut dixi, insitio in Christo. Tantum ergo abest, ut demonstratio hæc proberet.

probet Jesuitæ opinionem, ut illam fortiter destruat & manifestæ falsitatis arguat.

XVIII. Forsan existimat Becanus, se ex hoc textu ita argumentari posse: *Qui exempti sunt damnationi, in iis peccatum planè est abolidum: Justificati sunt exempti damnationi: Ergo in justificatis peccatum planè est abolidum.*

XIX. Primum nego hunc Syllogismum esse Apostoli Pauli: quippe qui neque peccati neque Justificationis (nam licet, qui justificatur Christo inseratur, proindeque Justificatio & in Christum insitio sint termini, qui se mutuo inferant, non tamen planè idem significant) ullam facit mentionem.
2. Nego illum ex Apostoli verbis mediante aliquo prosyllogismo inferri. 3. Nego majorem; quippe quæ & quæ incerta est atque conclusio. Concedimus quidem, quod justificati, ut tales, exempti sunt damnationi: Exemptos autem esse ob totalem sublationem peccati, id est, quod negamus, & negare nos jubet textus Apostolicus: quando proximam causam facit inscriptionem in Christo, eoque totalem peccati sublationem causam proximam exemptionis à damnatione negat.

XX. Cæterum quod attinet disputationem Christi cum Phariseis, negamus inter Christum & Phariseos questionem fuisse, de reali peccatorum ablatione, sed de peccatorum duntaxat remissione, uti textus clarus est & satis perspicuus. Quandoquidem peccatorem justum pronunciare, id non hominis esse, sed solius Dei, rectè concludebant Pharisei. Se itaque Deum esse & non nudum hominem demonstrat Christus eo, quod & quæ requiratur potestas divina ad illud, ut aliquis uno verbo sanetur, atque maiestas divina ad hoc, ut alicui peccatori remissio peccatorum annuncietur, injustusque justus pronuncietur. Neque ergo Pharisei de reali peccatorum ablatione querunt, neque Christus de illa respondet, sed tantum, ut diximus, de remissione.

XXI. Concedimus ergo, nos esse in hoc similes Pharisæis, quod cùm ipsis rectè intelligamus verba Christi, quibus dicit: *remissa tibi sunt peccata*: interim ipsis maximè sumos dissimiles, quod credamus Christi verba vera esse, & paralyticum vi verborum illorum, majestatis divinæ plenorum, remissionem peccatorum obtinuisse: quod verò negabant Pharisæi, nullam in ipso majestatem divinam, quâ sola istiusmodi remissio peccatorum peragi queat, agnoscentes..

XXII. Agnoscimus etiam omnino Christum medicum talem esse, qualis in scripturis nobis est revelatus: qui nimirum ægrotum revera sanat hac in vita, reatum peccati tollendo, illud, quod reliquum est, pallio misericordiæ ac meriti sui tegendo, & tandem per mortem ac ex mortuis resuscitationem illud totum eradicando & auferendo. Sic enim & non aliter se hic Medicus in scripturis nobis revelavit, ita vult agnosci & de se statui: non ut de ipso fingit Beccanus & Papicola. Quare in ipsis retorquemus illud Christi: *Sinite illos, cœci sunt & cœcorum duces.*

XXIII. Cæterum modum sanandi, quo utitur hic medicus, ita describit Beccanus §. 9. At quis sanandi modus est, quo utitur hic medicus? In corporalibus, alia vulnerum alia morborum curandorum ratio est: & hic meæici, illic Chirurgi peritiores esse solent. Christus, in curandis animis, medicos, & Chirurgos videtur imitari. Et quidem Chirurgo similem esse docent pleriq; Patres ex Parabola de Samaritano, qui alligavit vulnera hominis, descendens in Hiericho, quem latrones impositis plagis semivivum reliquerunt. Quis est homo qui incidit in latrones? Adamus cum totâ posteritate. Quibus vulneribus affectus est? D. Thomas quatuor enumerat, malitiam voluntatis, ignorantiam intellectus, infirmitatem & concupiscentiam utriusq; appetitus. Quis medelam attulit? Christus, verus Samaritanus. Quo pacto? infudit vinum & oleum; vinum quo lavaret vulnera; oleum, quo ungeret & sanaret. At, hoc vinum, hoc oleum, quid aliud quam pretiosum Christi sanguinem interpretetur? Hoc loci & abluti, hoc uncti, hoc sanati sumus. Jam v. Apostolus Paulus, nō Chi-

Chirurgi sed Medici officium illi tribuit, dum ait Hebr. 1, 3. Purgationem peccatorum faciens. Nam sicut Medicus infusa potionē purgat corpus interius à noxiis humoribus, ut iis subdit̄ ēlis & morbi radice sublatā sanitas consequatur, ita omnino Christus animorum medicus facit. Potionem è suo Sanguine consecratam adhibet, quā interior animus à vitiis & concupiscentiis purgatus pristinum recipit vigorem, & ad bonorum operum exercitium vegetus ac robustus efficitur. Hinc iterum apparet, sanguinem Christi & potionē & vino & oleo similem esse. Quod non physicè, sed moraliter ac meritorie intelligendum est. Christus enim suā morte & sanguinis effusione meruit nobis à Deo, ut sanaremur à peccatis nostris: & peccata non cūnantur physicè per sanguinem, sed per gratiam & sanctitatem inherenter, de quā in sequenti capite dicturi sumus.

XXIV. Respondemus: Parabolam de Samaritano contra scopū Christi à Jesuita ad institutum suum applicari. Allegoria enim ista non est in hac parabola fundata, sed in humano cerebro nata. Non enim Christo propositum fuit hoc loco de corruptione humanæ naturæ loqui, ac differere, quam mortiferum aut sanabile vulnus Satan Adæ inflixerit, quomođq; illud à se medico sanetur. Nequaquam vero. Hoc agit unicè, nempe docer, ut eum esse proximum nostrum cognoscamus, in quemcunq; inciderimus ope nostra indigentem, eumq; juvemus pro viribus. Quare per illum qui in latrones incidit, hic intelligi Adamum, quatenus una cum tota posteritate à Diabolo per lapsum spiritualiter est vulneratus, contextus negat, expressè autem de omni eo explicat, qui humana ope indiget. Sic neq; per Samaritanum se depingere Christus voluit Medicum neq; ostendere (institutum & scopum Christi si recte attendamus & accuratè sequamur) quomodo cūret & spiritualiter vulneratos sanet; sed indigitat & repräsentat propriè illū, qui indigentem proximum suum esse recte agnoscit & proximi officio erga ipsum fungit̄: Annuit quoq; & suo calculo approbat Legisperitus. Unde viceissim hoc responsi accipit hypocrita: Vade, & tu fac similiter: nempe sicut hic Samaritanus, & proximum tuum esse agnoscito, in quemcunq; incide-

fis, ope tua indigentem, eumq; pro viribus juvato. In hoc enigmā Samaritani hujus exemplum proposuit Christus, eoq; ad illam quæstionem: *Quis est meus proximus*; respondere voluit.

XXV. Fateor argutam & plausibilem esse allegoricam illam interpretationem & applicationem: verum scripturæ major habenda est reverentia, quam ut germanum ejus sensum hac licentia transfigurare liceat. Certè præter Christi mentem has speculationes ab hominibus esse confitas cuivis perspicuum est.

XXVI. Patres verò, obiicit Becanus, ita docuerunt. Quid tum? Et patres interdum cum bono dormitant Homero. Sanè inepta est ratiocinatio: Dixit Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, &c. Ergò verum: verior & firmior imò firmissima est: Dixit Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, &c. Idq; divinæ scripturæ consonum: Ergò verum. Non ergò doctrina ad consensum patrum; sed ad consensum scripturæ est examinanda; cum & ipsi Patres, non sint admittendi, nisi quatenus cum scripturâ consentiunt.

XXVII. Si demonstravero nostram doctrinam scripturæ S. & sic divinæ veritati consentaneam esse, nihil curio, si maximè omnes patres dissentiant: si non demonstravero, nihil effecero, si maximè patres mecum sacerent. Nam & hoc prius demonstrandum, patres in eo, in quo mecum faciunt, non dissentire à scriptura sacra: Cur itaque non statim ab initio scripturæ consensum produco? Non enim est recurrendum à scriptura ad patres; sed ab his ad illam: ad hujus scripturæ consensum, tandem mihi semper fugiendum. Patres igitur nec propter consensum, nec propter perspicuitatem, nec propter suavitatem nobis necessarii sunt. Rectius facerent Jesuitæ, si id temporis in evolvendis Bibliis collocarent, quod frustra in citudinis patribus consumant, atq; hoc vel illud scripturæ testimoniūm hoc vel illo sensu necessariò accipiendum esse docerent, non ex monumentis patrum, sed ex visceribus sacræ scripturæ, ex contextu, ex locis parallelis, & sanè longè facilior & felicior disputandi ratio foret.

B

28. Quan-

XXIX. Quandoquidem Jesuitæ scripturam sacram erroris accusare vel ullo modo reiçere non audent: Patres vero ut sibi ipsis infallibilitatem judicii tribui nolunt (*v. de distinct.* 9. in *Jure Canonico*) sic neq; in omnibus & per omnia ab ipsis Pontificiis (ut prolixè videtur est apud ipsum *Bellarminum lib. 3. de Pontifice Romano cap. 12. & 17.*) approbantur. Reiçit namq; Bellarminus opiniones Hippolyti, Ambroſii, Augustini, Irenei, Theodoreti, Bedæ, Gregorii, Anshelmi, &c. Quomodo ergo nobis vitio vertetur, reiçientibus autoritatem Patrum, utpote Ambrosii, &c. ubi illos contra manifestam scripturæ literam statuisse, animadvertisimus?

XXX. Possimus nihilominus Patres nonnullos etiam pro nostra allegare sententia & interpretatione. Nam licet Theophylactus in hunc locum posteriore loco ponat allegoricam interpretationem, nihilominus verum ac genuinum textus sensum præmittit & his verbis proponit: *Laudatus a Salvatore legis peritus prodidit insolentiam animi: dixit enim Et quis est meus proximus? existimabat enim se justum esse, nullumque habere sibi similem Et proximum virtute: putans solum justum proximum esse.* Proinde volens justificare seipsum, Et extollit super omnes homines, infolescens inquit: *Et quis est proximus meus? Salvator autem quoniam conditor ipse erat, sciens nos omnes unam creaturam, non operibus neglegit dignitatibus, sed natura definit proximum.* Ne igitur putas, inquit, quia justus es, quod nullus tibi similis sit: omnes enim, qui ejusdem naturæ sunt, proximi tui sunt. *Sic igitur vicissim Et tu illis proximus: non loco sed affectione Et studio erga illos.* Idecirco Et Samaritanum introducit in Exemplum, ut tibi monstreret, quod licet hic vita excelluerit, proximus tamen ei erat, qui miseratione dignus. Sic Et tu compassione proximum te illi exhibebis Et sponte ac non vocatus in illius subsidium curre. Docemur igitur Et hoc loco per parabolam, ut parati simus ad misericordiam Et contremur esse proximi his, qui indigent nostro subdio.

XXX. Hic ergo unicus & verus sensus est hujus parabolæ: ipsis patribus patentibus, ideoq; ad probandum aliquid solūm.

Ium adduci potest, allegoria autem illa altera, quia ex textu ipso derivata non est, sed circa textum conficta, ni homiliis quidem & concionibus ad populum movendi & excitandi affectus auditorum causa adhiberi potest modo Rhetorico: in serio tamen certamine & conflictu probare nihil potest. Quippe non habens divinam sed humanam duntaxat autoritatem. Quare totus ille Becani discursus est futile & inutilis, ac potius reprehensione quam responsione dignus, quod planè stramineo fundamento nitatur.

XXXI. Argumentum quartum proponit Becanus §. 10.

Quartum Argumentum (inquit) sumitur ex proportione mortis corporalis & spiritualis hoc modo. Quando corpori mortuo restituitur nova vita, mortem penitus extingui necesse est, quia idem corpus simul vivam & mortuum esse non potest. Exemplum habemus in Lazaro mortuo, qui cum ad vitam redit, a morte liberatus est. Ergo similiter, quando anima mortua restituitur vita spiritualis, mortem penitus deleri necesse est quia fieri non potest, ut eadem anima vivat spiritualiter & simul mortua sit. At peccatum est mors anima: ergo quando vita restituitur anima, necesse est peccatum aboleri. Hoc autem fit in Baptismo, juxta illud Rom. 6. v. 4. Consepulti sumus cum illa per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita & nos in novitate vite ambulemus. Et infra v. 6. Vetus homo noster simul crucifixus est ut destruatur corpus peccati. Et iterum v. 11. Existimate vos mortuas esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Et postea v. 22. Liberati a peccato servi facti estis justitiae: Verba clara sunt, sensus aperius. Per Baptismum morimur peccato, vivimus Deo: mors destruitur, vita revocatur. Hinc duo colligi possunt. Alterum, quare Baptismus vocatur regeneratione, seu nativitas. Ad Titum 3. v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, Iohann. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei. Ratio est, quia sicut in naturali generatione aliud corruptitur, aliud generatur: homo generatur: Embrio corruptitur, ita fit in Baptismo. Vetus homo corruptitur, novus homo generatur, quid est vetus homo nisi filius Diaboli, servus peccati, heres gehenna? Quid novus homo, nisi filius

Dei,

Dei, servus justitia bares aeterna vita? Hujus generatio, illius corporis est: hic nascitur, ille moritur. Alterum est, quare Baptismus rubro mari comparatus sit. Nam sicut Aegyptii in illo mari suffocati & extinti sunt, ita peccata omnia in Baptismo suffocantur & extinguuntur. Recet D. Gregorius l. 9. Epist. 39. Qui dicit peccata in Baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Et D. Augustinus concione prima in Psal. 115. Sicut Aegyptios in mari obrutus, ita in Baptismo delicta nostra demersa & extincta, luce clarius intimat Propheta dicens: Projicit in profundum maris omnia peccata nostra. Quid Calvinus & ejus sectatores? Non norunt haec mysteria? Malunt manere filii Gehennae, & servi peccati, quam nobiscum fateri, peccata deleri & extingui per Baptismum.

XXXII. Primum fundamentum hujus argumenti & omnium illorum, quæ ex isto colliguntur, est proportio & collatio corporalis & spiritualis mortis: quod eodem plane modo necesse sit, quando animæ restituitur vita spiritualis, mortem penitus delerit: atq; hoc necessarium est, quando corpori mortuo restituitur vita vera. Respondeo & hanc necessitatem fictam & pictam esse. Quia simile non est idem. Mors animæ propriè mors non est; sed ita dicitur comparatè ad mortem corporis: ideoque non est necessarium illud statim consequi remotionem mortis animæ, quod consequitur necessariò remotionem mortis corporis.

XXXIII. Deinde negamus: peccatum esse ipsam mortem. Sic argumentor: Quod est merces sive stipendium & finis peccati; illud non est peccatum ipsum, sed ejus vel effectus vel consequens; At mors est merces sive stipendium & finis peccati: Ergo mors non est ipsum peccatum, sed vel peccati effectus vel ejus consequens. Major est certa. Minor probatur, Rom. 6. v. 23. Stipendium peccati mors est: & v. 21. finis peccatorum mors est.

XXXIV. Quia igitur peccatum non nisi mortem patere potest, morbus potius quam mors dicendum, quod mortem aeternam gignat, ut morbus corporis est causa mortis temporalis,

C

uti

ut etiam morbo comparatur in sacris literis, *Esa. c. 53. v. 4.*
Esa. i. v. 5. 6. &c. Ut ergo causa mortis in vivo adhuc corpore potest circumferri; sic quoque id, quod per se est causa mortis æternæ, nempe peccatum, esse potest in homine, licet homo sit justificatus & Christo insertus, quo ipsius actus quasi secundus, nempe reatus, propter quem homo in iudicio divino damnatur ac morti æternæ adjudicatur, cuiq; tanquam stipendium mors æterna proprie debetur, impediatur, imò planè tollatur:

XXXV. Quare licet in eodem corpore simul vita ac mors inesse nequeant, vita tamen & morbus simul esse possunt, ut homo quidem vivat, sed morbo affectus: sic homo justificatus licet spiritualiter vivus simul ac mortuus esse nequeat: interim licet spiritualiter vivat, æger tamen adhuc esse potest peccato, quod hæret in membris ipsius: Quemadmodum verò per medicamenta morbus impeditur, quo minus statim obtineat id, quod intendit, & mortem introducat: Sic morbus ille spiritualis peccatum, quod adhuc remanet in homine justificato, justitia Christi applicata impeditur, & spirituali illo emplastro tegitur & curatur, quo minus possit obtinere illud, ad quod natura suâ tendit, nempe æternam damnationem & mortem peccatori conciliare. Talem ægrotum se agnoscit ipse Apostolus Paulus. Etsi enim ejus peccata baptismo abluuntur, *Acto. 22. v. 16.* nihilominus tamen conqueritur, habitare in carne suâ peccatum, *Rom 7. v. 15. 16.* & 17. &c. Etcupit anathema fieri pro fratribus suis secundum carnem, quod etiam non caret aliqua labe *Rom. 9. v. 3.*

XXXVI. Tertiò penitus aboleri peccatum in baptismo probare conatur Beçanus dictis *Rom. 6. v. 4. 11. & 22.* Dicitque sensum illorum apertum esse: per baptismum morimur peccato, vivimus Deo: mors destruitur, vita revocatur. Sensum quidem concedere possumus, sed consequentiam Beçani veram esse negamus cum Augustino, *lib. i. de nupt. & concupisc. ad Valerianum*

nam cap. 27. dicente : Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Imò cum ipso spiritu sancto, i. Johan. i. v. 8. docente : Si dixerimus nos peccatum non habere; nos ipsos fallimur, veritas non est in nobis. Mori ergò peccato in hac vita dicuntur renati, non quod omni omnino peccato careant, sicut Beccanus nugatur: sed quod originale vitium non sinant dominari, aut in exteriora peccata, quæ opera carnis ab Apostolo dicuntur, prorumpere: sed vim atq; impetum peccati virtute spiritus infringant & mortifacent.

XXXVII. Quartò videamus duo, quæ inde colligit Beccanus *πορεία σπουδαῖα*. Primum est, colligi hinc, cur Baptismus, Tit. 3. v. 5. & Job. 3. v. 5. vocetur generatio & nativitas. Negamus & hoc. Nam neque in Epistola ad Titum Baptismus appellatur generatio; neque apud Johannem aqua Baptismi nativitas; sed ibi ille dicitur lavacrum regenerationis: hic vero aqua medium ex quo vel per quod fiat renascentia. Atqui medium, per quod, & lavacrum, quo fit regeneratio, non sunt ipsa regeneratio. Instrumentum enim vel medium non est id, quod medianteibus illis fit & producitur.

XXXVIII. Deinde quod dicit, ut Embrio corrumperit & homo generatur in generatione naturali, sic in Baptismo, veterem hominem corrumpi & novum generari. Primum nego consequiam. Rorsus quia similitudo non est idem. Generatio enim naturalis est essentiæ mutatio proindeque veram corruptionem supponit, non ita regeneratio spiritualis; quippe quâ certè non essentia hominis mutatur; sed tantum in illo vel alteratio quædam fit, vel omnino alterationi similis mutatio; quam vera corruptio non comitatur. Deinde nego Embrionem esse illud, quod corrumperit in generatione hominis; quippe non est illud, ex quo generatur homo; id enim est semen humanum: Embrio autem est aliquid ex semine productum. Est ergo Embrio homo, sed imperfectus. Perficitur itaq; non corrumperit: sic in regeneratione homo non de novo generatur, sed resicitur.

XXXIX. Imò concedo, quod in regeneratione aliquid revera tollatur. Ut autem regeneratio est mutatio spirituialis, ita oportet spirituale sit id, quod mutatur, sive mutatione tollitur; & spirituale id, quod acquiritur. Tollitur ergò peccatum, sed non totum, quia non totum spirituale est, sed tantum reatus; ideoque tantum tollitur: acquiritur autem iustitia Christi per imputationem; sicq; verè per mutationem spiritualem. Homo ergò vetus corrumpitur spiritualiter & novus generatur spiritualiter: hic nascitur spiritualiter, ille moritur spiritualiter, indies magis magisq; quod carnale est & adhuc in membris hæret, mortificando, quiq; servus iustitiae dicitur & non amplius peccati, non quod à radice peccati totaq; ejus essentiâ penitus sit liberatus; sed quod à dominio ejus sit liberatus, peccatiq; Dominus factus & proinde filius Dei: quippe qui spiritu Dei ducitur & virtus inhærenti masculè resistit.

XL. Alterum *πότερα* est vera (ut sibi imaginatur Beccanus) ratio, cur Baptismus rubro mari comparatus sit: Verum quomodo probabit hoc ex sacra scriptura Jesuita, id propterea fieri, quod sicut Ægyptii in illo mari suffocati & extinti sunt, ita peccata omnia in Baptismo etiam quod'actum & essentiam suam suffocentur, extinguantur & tellantur. Nullibi hoc dicit scriptura. Tantum verba sunt, figmentum Jesuiticum est: quod ut intelligat, allegoriam aliquando altius repetamus:

XLI. In Baptismi actione & administratione habemus quatuor. Primum Baptismum ipsum, qui respondet mari rubro. 2. Baptisandum, qui respondet populo Israelitico. 3. peccatum, quod respondet Pharaoni. 4. remissionem peccatorū, quæ respondet liberationi populi Israelitici. Quemadmodum igitur Israëlitæ obfessi à capitali hoste Pharaone, qui ipsis mortem intentabat præsentissimam, iverunt per mare rubrum, sic quoq; infantuli nostri, spirituali Pharaone, peccato originis, obfessi, tyranno sanè sævissimo, qui ipsis non temporale soum, sed æternam potissimum mortem intentat: qui tale stipendum solvit suis ministris; eunt per lavacrum baptismi; ut deinde per transitum illum liberantur Israëlite ab hostis sævitia, suffocato illo

illo in mari rubro; sic quoque per baptismum, tanquam per lavacrum regenerationis, liberantur infantuli a saevitia peccati originis, ut in ipsis non amplius operari possit ad aeternam mortem.

XLI. Hactenus est similitudo: cetera sunt dissimilia. Nisi forsitan & hoc addere velis: quod, quemadmodum suffocatus est in mari rubro Pharao, sic quoque per Baptismum mortificatur peccatum originis, quod & ipsum, ceteris partibus, concedere possumus. Quemadmodum enim in mari rubro Pharao non totus sublatus est, sed tantum privatus anima & vita, per quam nocere poterat Israëlitis, corpore adhuc residuo: sic quoque in Baptismo non totum tollitur peccatum originis; sed tantum privatur anima & vita, nempe reatu, quo solo nocere poterat baptisato, corpore adhuc manente.

XLII. Quia vero subsidium Scripturae Jesuitæ denegat, patres in auxilium vocat. Sed monuimus antea; Patres in rebus fidei sine scriptura nihil probare. Sed quid quæso probat ex Patribus? Gregorius, inquit, *peccata in Baptismo funditus dimitti testatur*. Quis vero hoc Lutheranorum unquam negavit? Quis etiam unquam infitias ivit, *delicta tolli in Baptismo* ita, ut Augustinus hanc phrasin interpretatur? Ergo ut nihil ex scriptura, sic quoque nihil hisce authoritatibus patrum probat.

XLIII. Ultimò, qui docent *Justificationem fieri per imputationem justitiae Christi & ita justificantur*; neque volunt manere neque manent servi peccati vel filii Gehennæ. Nam illi, qui serviunt peccato, frenum laxant & indulgent peccato, ut in carne dominium acquirat, ut in externa quoque mala opera, quæ conscientiam vastant, profiliat: contrarium faciunt justificati: ut enim spiritualiter mortui sunt peccato & a reatu ejus liberati; sic etiam non amplius serviunt peccato, sed serviunt justitiae: Et quemadmodum alias servi tamdiu obnoxii sunt suis dominis, quam diu vivunt; interventu autem mortis dominorum potestate eximuntur; & quemadmodum

alias per mortem naturalem à peccatis plane liberantur sancti;
ita per mortem spiritualem, qua peccato moriuntur liberan-
tur à peccato ratione dominii, ut vivant Christo. Ad summam!
Filios Gehennæ proclamare reatu peccati liberatos, & stulta
& impia calumnia est. Ubi enim nullus reatus est, ibi nulla
condemnatio ad Gehennam.

X L V. Quintum argumentum: (pergit Becanus) Monet
Sapiens Ecclesiastici 31. v. 25. *Vome & refrigerabit te, & non adduces*
corpori tuo infirmitatem. Prudens ac salutaris monitio. Nam qui
apud se retinet vomitum, morbo & infirmitati sit obnoxius: qui re-
jicit, refrigeratur. Sic etiam, qui peccatum, quod per vomitum signi-
ficatur, teste Apostolo, apud se retinet, ægrum & nauseantem animum
habeat, necesse est, qui projicit, sanitatem recuperat. At si projicit,
quomodo manet in homine? Nisi Calvinista, contra consilium sapien-
tis, malint apud se vomitum suum retinere, quam abjecere.

X L VI. Respondemus primum, Ecclesiasticum loqui
de vomitu, propriè dicto, proindeque eo nullam spiritualem
actionem sive mutationem indigitare. Textus est clarus. De-
inde si metaphora propter Apostolum allegatum est conceden-
da; argumentum inde à Becano collectum, omni vi conse-
quentiæ destituitur, ideoque ridiculum & ineptum est. Primo
enim remissio peccatorum sive justificatio metaphorice ne-
quaquam est vomitus: quippe qui à nobis fit, remissio verò à
Deo. Sanctificatio cum eo quit conferri, quæ & à Deo simul
& nobis fit. Deinde non dicitur, omnino modum per vomitum
restitui sanitatem: id enim manifestè falsum; sed quod vere
potuerit dici, refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmita-
tem: quo modo veritatem est, magno eum pondere levari,
qui peccato renunciat, neque sibi acquirere dampnationem.
Verum ut hoc modo qui vomit, non propterea integrè & per-
severè sanatur: sic neque qui peccato renunciat, nihil retinet
infirmitatis. Tandem non duntaxat verum est, qui peccatum
retinet, ægrum & nauseantem animum habere: quod ponit
Becanus: sed etiam nos addimus, nullum fidelem, quam diu
in hac vita superstes est, non habere ægrum & nauseantem ani-
mum



mum: alioquin unde illud: *Quod volo bonum, non facio: quod nolo malum, hoc ago; si plane nulla nausea, nulla ægritudo?*

X L V I I . Tandem & quasi coronidis loco ex definitio-
ne peccati originis, quam Pareus habet in suis thesibus, ita vult
argumentari Becanus & ad absurdum redigere Pareum: Pecc-
atum originis manet in justificatis: Peccatum originis est cœcitas
mentis & aversio voluntatis cum reatu æternæ mortis: Ergo in justi-
ficatis est cœcitas mentis & aversio voluntatis cum reatu æternæ mor-
tis: & per consequens justificati adhuc sunt cœcimenter & aversi à
Deo & rei æterna damnationis. Major & Minor est Parei: Syl-
logistica structura est legitima: Ergo conclusio est Parei, quam
verò non concedet: Vera ergo relicta Minore, sequitur Majo-
rem falsam esse, & contrâ verum: Peccatum in justificatione
non manere in justificatis, sed totaliter tolli.

X L I X . Responsio expedita hæc est & quidem ad ma-
jorem, quod laboret fallaciâ à dicto secundum quid ad dictum
simpliciter. Manet quidem in renatis peccatum originis,
sed non manet ejus dominium, quod in eo consistit, ut subje-
cto imprimat actualem cœcitatem & meram malitiam; sed tol-
litur illud. In Minore verò est plenissima peccati originis de-
finitio, ut est in sua perfectione ac plenitudine adhuc habens
suas vires ac dominium. Non autem sequitur: Peccatum o-
riginis in se & sua natura est cœcitas & mera malitia: Ergo ubi-
que in omnibus subjectis illâ sua naturâ plenariè dominatur:
Distinguendum ergo est inter habitum & ejus exercitium: in-
ter potentiam & actum: inter actum primū & actum secundum.
Actus primus quidem peccati originis ubiq; in omnibus homi-
nibus, quam diu in hac mortali vita manent, manet: sed virtute
spiritus in justificatis retunditur & coërcetur ejus vigor, quo
minus in actum secundum prorumpere queat. Et sic licet
*Ἀγίου Φυσική dispositio & inclinatio ad errores, & ad ma-
la cogitationes malitiosasque actiones, quæ sunt ipsa cœcitas
mentis, in natura & carne justificatorum maneat; non tamen
manent errores ipsi, sed emendantur; non sequuntur illam pra-
vam dispositionem malæ cogitationes, sed obtunduntur;
non manifesta opera carnis; sed coercentur.*

F I N I S .





Ad Virum-Juvenem Praestantissimum

Dn. M. GODFRIDUM OLEARIUM
S.S.Theol. Cand. amicum & inquilinum meum
exoptatissimum.



*Ulam sicuperes, verbi Praconis in aulâ
Magnus Anhaldinâ jam tuus esset
bonos;
Sed tibi plus Aulâ placet huc Academia, mavis
Quam quod distribuas, plura parare tibi.
Matte animis, GODFRIDE, patris vestigia
magni
Sic lege, parq; patri vel patre major eris.*

PAULUS RÖBERUS D. Prof.
Past. & Superint. Witeb.

SI res tota Dei est nostrum istud vivere, quanto
Salvari ipsius fuerit magis. & poter Roma
Æternam proprio sperare labore salutem?
Ploret amara illa usque; at tu mihi doce OLEARI
Salve etiam atque etiam, cui cœlum & gaudia cœli
Perque fidem CHRISTUMq; unum stant rite paranda,
autographi f.

Augustus Buchnerus.

21 VI

99 A 6900

ULB Halle
002 622 092

3



SB

Rebro

VDT7





FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches



I SECUNDI Confessionem

ARTIO VI.

tinens

ARTICULI IV.

ESTIONE,

ta penitus Justificatione,

ta Becani examinans.

psita

cademiâ VVittebergensi,

S I D E

ARTINI, SS. Th.

imario, Facult. Theol.

oli Arcis Præposito:

NDENTE

DO OLEARIO

Saxone.

itorio Collegii Veteris

n 29. Augusti.

E B E R G Æ,

MONIS AVERBACH,

DC XXIX.